



~~T. 1633~~

1) Pfefferin

als weiches Pulver

44
Cum CHRISTO!

Decima Quarta

In secundam Anatomiae Mas-
sonij partem.

DISPUTATIO,

An Maria sit ΘΕΟΤΟΚΟΣ,

Quam

P R A E S I D E

JACOBO WELLERO

SS. Theol. Doct. ejusdemq; Prof. Extraord.
& Ebr. Linguae Ord.

defendet

M. JOHANNES SCHINDLERUS

Chemnicensis, Sereniss. Elect. Saxon. Alumnus

In Auditorio Collegij Veteris

ad diem 7. Augusti

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI, ACAD. TYPOGR.
ANNO M. DC. XXXIX.

T 163

V I R I S

*Reverendis admodum, Clarissimis
& Praestantissimis*

*Amplissimis, Consultissimis &
Prudentissimis*

Dn. M. Johanni Dürren
Ecclesiae Chemnicensis Pastori
& vicinarum Superin-
tendenti vigilantiss.

Dn. Zachariae Neffen.
Dn. Cornelio Hörnigken.
Consultibus Spectatissimis;
Nec non

Dn. M. Sebastiano Homeln
Archidiacono.

Dn. Paulo Neffen.
Dn. Melchiori Strauben.

Dn. M. Christiano Engeln
Diacono.

Dn. Zachariae Hillgern.
Dn. Matthæo Heinrichen.

Dn. M. Hermanno Kött-
nern ad D. Johannis
Pastori.

Dn. Zachariae Plattnern.
Senatoribus inclytæ Reip.

Dn. M. Georgio Richtern
ad D. Nicolai Pastori.

Chemnicensis gravissimis,
& Mercatoribus pri-
mariis,

*Dnn. Patronis, Promotoribus ac
Fautoribus suis omni honoris cultu & ve-
neratione prosequendis*

Hanc Theologicam Disputationem

offert & consecrat

M. Johannes Schindlerus
Respondens.

Vidimus disputatione precedenti primam Eminentissimi Theologi Dn. D. Hoe rationem quâ probavit, Calvinianos negare Mariam esse γεννητορ. Nunc, cum Christo, ad reliquas à strophis Masson, vindicandas.

I.



Secundum argumentum depromptum est à verbali & Synecdochica Calvinianorum communicatione, quam phrasi, Deus est natus, obtrudant, eaque ex Danao & Caco- loxo Consensu probatur, vide disp. praecedentis thes. 1. & 3. Respondet Massonius (1) omnino dictu absurdum non esse, Mariam peperisse eum, pag. 91. qui filius Dei dicatur, cum scriptura ita loquatur Luc. 1. pag. 95. 2. Danaum cum distinctione loqui. 3. Synecdochicam predicationem probare & B. Lutherum, ut supra sit dictum. 4. Pro- pag. 96. ducit Orthodoxum consensum, & 5. tandem Admonitionis Neostadianæ verba p. 97. pag. 97.

II. Sed quàm hinc falsus, quàm sophisticus est Massonius? Siquidem. 1. quando scriptura ait Luc. 1, 35. sanctum quod ex te nascetur κληθήσεται υἱὸς θεοῦ: (Confer & v. 32.) tunc τὸ vocari, rei veritati & proprietati nullatenus opponit, nec vult, quod homo sic nominetenus saltem Deus: sed vocari ipsi hinc est & esse verè proprieq; & ab omnibus agnosci celebrariq; pro Dei filio, ut vox accipitur Matth. 5, 9. 19. c. 21, 13. Rom. 7, 3. (adultera vocabitur, id est, erit & ab omnibus publicè pro ea declarabitur & habebitur) Calvinianorum v. & Nestorianorum vocari, nominari, opponitur rei veritati, proprietati, ita ut illud Hilarij l. 3. de Trin. tom. 1. p. 35. Filius est Origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione; nativitate non creatione; verè ipsis occinere queamus. Patet verò hoc 2. quia (α) negant hominem dici Deum

Quid sit scri-
ptura vocari
Dei filium.

Calviniani τὸ
vocare oppo-
nunt rei veri-
tati & pro-
prietati.

per realem communicationem Deitatis. Cramerus l. d. p. 245.
 (b) Hominem dicunt Deum, ut dicitur homo omnipotens.
 Sed hoc nomen tenus saltem verum dicunt, non propriè,
 ut dictum. 3. Expressè Zvinglius tò dicere, tō tribui ac
 esse opponit in Exegesi f. 351. b. Nolo digladiari cum illis, qui
 forsàn non impiè, sed non in loco dicerent, filium hic quoq; pro
 divina poni natura, hoc sensu, quòd filius nihil operatur, quòd
 pater non simul operetur: Satis enim habemus testimonio-
 rum, quibus Sole clarius ostendemus divinitati PROPRIA
 DICI quidem, SED NON TRIBUI humanitati. Et in
 plana ac brevi instit. f. 284. b. ait, propter naturarum con-
 junctionem contingere, ut de altera dicatur, quòd alterius
 duntaxat vera est: tribuendum tamen esse unicuiq; solum
 id, quòd ipsius vera est. Et addit: Hæc enim ratione, Deum
 pro nobis passum esse dicimus. Martyr in dial. p. 29. 35. & 45.
 Filius hominis in cælo esse dicitur, Joh. 3, 13. quòd nimirum
 illi nature esset conjunctus, que in cælis erat. Istas communi-
 cationes dixi verbales, quòd proprietates, re ipsa, utriq; na-
 tura congruere nequeant. Planè ut Nestorius dial. 1. apud
 Maxent. f. 57. Hic docemur, non esse puerum naturà Deum,
 sed propter Deum, qui ei unitus est, Deum à Propheta vocari.
 Cujus solidam refutationem videl. dicto. Et confer Al-
 sted. par. 5. p. 609. Scharpium in curs. theol. p. 373. qui cum
 Zvinglio, humanam naturam Deum dici, non verò esse,
 contendentes, in Nestorij societatem rapiuntur. Beza ad
 act. Colloq. Mompelg. p. 19. supra apud Masson. p. 34. Sed
 si prædicatum in ejusmodi locutionibus concretis propria sua
 significatione accipiatur, Deus enim gloria, nihil aliud propriè
 quàm Deum significat & filius hominis nihil aliud quàm ho-
 minem)

NB. Si homo in phrasi, homo est omnipotens: Si Deus, in phrasi Deus est natus, propriè sumitur, sequitur Eutych. Est ergò verbalis non realis prædicatio, referenda ad verba, non ad rem.

NB. Si homo
 in phrasi, ho-
 mo est omni-

potens: Si

Deus, in phrasi Deus est natus, propriè sumitur, sequitur Eutych. Est ergò verbalis non realis prædicatio, referenda ad verba, non ad rem.

minem) tum dixi & dico, hanc phrasin sive hunc predicandi modum, esse verbalem, non realem, id est, quod verba proprie sonant, non esse ad rem ipsam transferendum, quoniam merus inde Eutychianismus consequeretur. Martyr dixit, nullo vero modo filio hominis posse tribui, quod careat initio: Ergo etiam nullo vero modo poterit tribui Deo, quod initium acceperit? Idem: Deum passum dicit existimatione, non re ipsa. Ergo & natus est existimatione & prædicatione: non vero re ipsa. 4. Johannes Baleus & Zach. Ursinus tom. 2. Ursin exam. recit. Selnecceri, col. 767. Homo realiter Deus respectu Deitatis: nominatenus, respectu humanitatis incluse in hoc nomine, homo. Significatur n. realis unio cum Deitate, per hanc verbalem communicationem, id est, prædicationem idiomatum unius naturæ de alterius nomine concreto, id est, humanorum de Deo, & divinorum de homine Col. 765. Ait, verbotenus dici de natura altera comprehensa in concreto, id est, nomine personæ, ab ea denominata, quod non potest de ea dici per se considerata seu seorsim nominata &c. Et statim: Cur dicit, Selneccerus sc. divelli, cum de persona prædicatur, quod ei unius naturæ respectu realiter, alterius respectu nominaliter, id est, alteri naturæ comprehensa in personæ nomine, tantum nominatenus competit. Optimè hæc notes: phrasis: Homo est Deus, est verbalis, & quidem in oppositione ad realem, quæ vera, propria, sub hominis vocabulo si incluseris humanitatem: est realis, si (vi oppositionis) excluseris humanitatem. Proinde diceretur, quidem homo in propria & nativa sua significatione; (quid n. est homo, si humanam naturam excluseris,) Deus. Sed non erit. Erit a. si excluseris humanam naturam, id est, dixeris Deum carni unitum esse Deum, quod sanè τὰν ἀμφαῖν dabat Nestorius. Deinde, Omne id verbotenus, nominatenus, non

Humana de Deo verbaliter prædicantur: & divina de homine;



verò realiter & proprie de humana natura comprehensa sub vocabulo hominis dicitur, & vice versa de divina natura comprehensa sub nomine Dei, quod ei seorsim & per se considerata tribui nequit. Subsumas nunc: Subsistere in infinita τῆ λόγῃ hypostasi, esse pretium & ἀντίλυτρον pro totius mundi peccatis, naturæ humanæ seorsim considerata: incarnari, habitare σωματικῶς in carne, divinæ naturæ seorsim considerata nō competit. Competunt enim illa carni, ut est caro Dei: hæc divinæ naturæ, ut factum est Verbum caro Joh. 1, 14. Ergò nec in Unione verè competent; sed nominatenus saltem subsistet in hypostasi τῆ λόγῃ humana natura: nominatenus saltem erit ἀντίλυτρον pro peccatis mundi: nominatenus sic erimus redempti: nominatenus Deitas erit incarnata; habitabit in Christo σωματικῶς, nominatenus λόγος erit caro; extra Unionem enim caro non est &c. quæ impia & blasphema planè sunt. Vide & Neostad. tom. 2. Ursinicol. 516 517. & confer Cramerum apostatam l. d. p. 189. quando negaturus, carnem Christi dicendam esse extra locum vel eatenus saltem, quatenus est in λόγῳ, qui locus non sit, ait p. 189. Veritas rerum non ab oratione vel consideratione nostra: sed vera oratio & consideratio à rebus ipsis pendet & estimanda est. Non enim v. g. Preses hic cum respondente suo sunt boni Logici: quia boni Logici esse dicuntur: sed quia illi sophiste sunt: iccirco falsò Logici boni esse dicuntur. Sophistarum n. est objecta argumēta ita solvere: ἐστὶ μὲν, ἴσθι δὲ ἕ καὶ τὰ μὲν, τὰ δ' ἕ καὶ πῆ μὲν, πῆ δ' ἕ. Et animadvertes, τὸ appellari Calvinianorum opponi ipsi rei veritati. Addo Alstedium. Sic ait par. 5. theol. polem. p. 609. Communicare est id, quod uni proprium, alteri facere commune. Hoc autem fit vel nomine, vel re ipsa. Nominè, id est, imputatione seu relatione, ut cùm uxor Electoris vocatur Electrix, que

NB. Vera oratio à rebus ipsis, dependet. At quando dico Deus est natus, tunc quando nomine concreto, verum & essentialem aeternum Deū intelligo, non à rebus ipsis dependet oratio, sed à verbis. Ergò falsa ea erit.

qua tamen si non sit ipsa electrix, ita ut eligat imperatorem, tamen hoc cadit ei in honorem, quatenus ex hoc nomine vero conjugij vinculo electori copulata esse intelligitur, & quidem rem ipsam quoque habet, non in seipsa, sed in viro, altera sui parte. Re ipsa communicare est subjective seu inhaesive aliquid alicui tribuere &c. Vide & Zanch. lib. 2. de Incarnat. c. 3. quest. II. p. 363. 368. 370. Impia & plane Nestoriana haec sunt. Sic enim (α) Deus erit homo: homo erit Deus imputatione & relatione, non vero re ipsa. Non enim Deus est homo subjective: nec homo Deus inhaesive. (β) Caro subsistet in *ὑπόστασι τῆς λόγῃς*, non re ipsa, sed nomine, imputatione & relatione. Ut enim hypostasin τῆς λόγῃς communem seu unam potius cum λόγῳ habet eandemque caro: vide *Cacod. Consens.* supra: sic nullatenus subjective aut inhaesive vel caro est in Deo: vel hypostasis τῆς λόγῃς carnis hypostasis. (γ) Deus erit passus imputatione, relatione & nomine non re ipsa: Imputative igitur redempti erimus. Sed audiemus hunc Nestorianismum, quomodo eum refutarit B. Maxent. dial. 2. f. 62. *Facit ergo proprias Deus carnis suae passiones secundum relationem, non secundum veram & intimam proprietatem; & quomodo fecisse proprias Deus carnis suae passiones praedicatur a Vobis, qui non secundum proprietatem, sed secundum relationem facit carnis suae proprias passiones &c.* Et statim, ubi Nestorianus ait: *Hinc denique & Deum negavi passum, & tamen carnem Dei dixi passam, resp. Cathol. Non ergo Deus verus Christus, sed propter inhabitantem in se Deum Verbum honore & dignitate seu potius nomine tantum secundum vos dicitur Deus: & quomodo hoc non est contrarium illi sententia Johannis, qua dicit: Scimus Deus vocetur, quia venit filius Dei & dedit nobis sensum ut cognoscamus Deum verum, & simus in vero filio eius Jesu Christo, hic est,*

Ita Alsted. l. d. Humana natura hic honoratur, ut nos communicatur, ut Deus vocetur, sed in concreto.

Deus



Deus verus & vita eterna? &c. Vide locum integrum. (d)
 Poterit hac ratione, & quivis credens non minus omni-
 potens dici, quàm humana Christi natura: non minus ve-
 rè mori Deus, moriente Paulo, quàm moriente Christo,
 Ratio; Ut enim inter quamvis animam fidelem & Deum
 Christum intercedit spirituale conjugium *Ose. 2, 19. 2. Cor.*
11, 2. Apoc. 22, 17. confer Psal. 45, 10. Cant. 4, 8. Esa. 62, 5.
Eph. 5, 32: ita & unus Spiritus cum Christo 1. Cor. 6, 17. &
omnia in eo posse, dicimur Philipp. 4, 13. ita persecutio Chri-
stianorum Christi dicitur persecutio Act. 9, 4. Dei & angeli
Dei Esa. 63, 9. juxta dist. B. Lutheri nempe relative' (recito
 hïc verba Alstedij quibus communicationem describit
 l. d. seu denominativè, hoc est, verè quidem & absq; mendacio,
 sed non realiter, id est, inhesive. Ubi igitur eadem passio-
 nis causa, ibi eadem veritate & passio prædicatur.

pag. 95.
 Danaei verba
 ventilantur.

III. Ad II. respondeo, *sufficere* nullatenus, dicere *Danaum loqui cum distinctione.* Siquidem (1) distinctio ista
 erat demonstranda. (2.) evincendum, non esse eam con-
 tra scripturam & orthodoxiam. Nuda verò verba ita alle-
 gare, sophisticè est agere. (3.) sed videbimus Danaum in
 verbis ab adversario citatis & seqq. Negat 1. *omnem com-*
municationem, quæ ex Unione fluit, esse realem. Respondeo:
 Qualis est unio, talis & communicatio. Ut concessit su-
 pra Crocius, qui totam antiquitatem concedere illud as-
 seruit, cui tamen contradixit Wendelinus. Adde præter
Collocutores Maulbrunn. colloq. & Palatinum Kednadon
à Strasvick in dial. p. 14, qui idem principium largiun-
 tur. Et vice versa: Si communicatio non est realis, nec rea-
 lis erit unio. 2. contendit, *Deum esse passum appellatione &*
verbotenus saltem, si vox Dei Deum proprie notet. Ergò &
 homo erit Deus ex ipsorum sententia, saltem nomine &
 appella-

appellatione si hominem proprie notat. Sic ait fol. 1419. oper. ubi citata ab adversario verba habentur: *Quum enim illa κωνωμία seu communicatio sit multiplex, uti diximus, quedam sit ab una Christi natura, alterius appellatione & verbotenus, ut si dicatur, Deus est passus, quia Christus homo, qui & Deus est, passus est: & si homo Christus dicatur seipsum excitasse ex sepulchro, quia Deitas λόγος (cui unita est humana natura) illam excitavit. Ergo unius duntaxat natura idiomatica essentialia, de toto quidem unito, id est, de Persona Christi propter illam unionem realiter predicantur: de altera vero ejus natura (cujus non est idioma) enuntiat per εὐαγγελίῳ ὀνομαστικῶν seu κωνωμίας ἰδιωματικῶν, quæ est communicatio appellationis, dum natura per se & in sese à nobis considerantur, licet in ipsa copulatione & unione maneat, non autem extra eam subsistere cogitentur. Et statim: Sed hæsententia ita sunt explicanda & intelligenda, ut de persona quidem ipsa, seu de toto unito realiter dicantur: de toto tamen unito, aut singulis illius persone naturis verbaliter tantum & per εὐαγγελίῳ ὀνομαστικῶν, aut ἀντιδοσῶν, aut κωνωμίας ἰδιωματικῶν enuntientur, etiam PER VERBA CONCRETIVA, & personam denotantia. Mox: Quod si non predicantur realiter, non est realis igitur, hujusmodi prædicatio, sed verbalis tantum seu dialectica, sicuti vocant. Fol. 1421. C. Diximus quod verissimum est, eam solam κωνωμίας appellari κωνωμίας ἰδιωματικῶν, ubi non res ulla, vel qualitates, vel dona ab una natura in alteram realiter dantur, vel communicantur: sed TANTUM APPELLATIONES ET NOMINA ET QUIDEM IN VOCE CONCRETATA, veluti quum hic homo (qui est Christus) dicitur ex Patre ab eterno natus. Impiè fanè.*

Deus est passus verbo-tenus.

Homo Christus se excitavit, i.e. Deitas humanæ nat. excitavit.

En ut verbalis prædicationem realis opponunt.

Tantum appellationes dantur.

Notes



Homo Christi
est ab æ-
terno natus
tantum appel-
latione & no-
mine; non v.
re ipsa. E. ho-
mo Christus
est & Deus
tantum appel-
latione, non
verò re ipsa.

Notes igitur, quod verbalem predicationem proprietati & reali predicationi non opponat tantum: verum verbalem saltem & in voce, ut ait, concretata, quæ totam personam ab altera denominat natura, concedat, predicationem seu nominis saltem communicationem det. Ergo Deus erit natus saltem appellatione, nomine. Homo erit Deus nominatenus, verbotenus. Argumentatur. Ubi voci concretivæ notanti personam, tribuitur proprietas contraria nature, quæ voce concretiva notatur, ibi est verbalis tantum, nominalis saltem seu appellationis & nominis communicatio & predicatio. Subsumo: Sed in phrasi: Deus est homo; Deus est natus, mortuus, voci concretivæ notanti & c. Ergò in phrasi, Deus est homo; Deus est natus, mortuus, est verbalis tantum, est nominalis saltem, seu appellationis & nominis communicatio & predicatio. Et quis quæso Christianus hæc non damnet? tollunt enim totum incarnationis mysterium, idq; in verbis saltem consistere garriunt, quod in Nestorio anathemati subicere Patres. En! quæ impia ex hac Danæi assertione sequantur, quæ tamen Servestianis orthodoxa sunt, quamvis veriti fuerint, verba ista vel nostrâ vernaculâ, vel etiam diversitatem exponere ullo verbo, quò vel Danæi impia verba excusent. 3. Ait: Quod alteri realiter communicatur, est commune. Quod si commune est, desit esse proprium. Deinde quemadmodum diximus, nullum essenziale idioma λόγος est rei ulli creatæ realiter κοινοῦν, id est, communicabile & participabile, nisi essentiam quoq; ipsam divinam re ipsa communicabilem & participabilem à carne assumpta blasphemè dixerimus. fol. 1419. Cuius opponimus verba Orthodoxi Consensus, quæ & Massonius p. 39. citat. Quemadmodum personalis illa unio propriè est utriusq; nature subsistentia in una

una & communi hypostasi. (Nam sic Verbum hac unione factum est caro, quoniam videlicet ipsa Dei verbi hypostasis inconvertibiliter facta est assumpta carnis hypostasis &c.) NB. Communi.
 Unde concludo: Aut hypostasis illa propria & λόγος, aut non est. Posterius absurdum. Sic enim nec Persona fuisset ante incarnationem: nec Deus: sed saltem per incarnationem fieri incepisset. Prius igitur, ut verissimum est: ita stante hac adversarij hypothesi eliminandum, & ipsa etiam incarnatio erit neganda. 2. Samosatani fuit ille error: Naturam unam alteri, ἀκοινωνητον, id est, imparticipalem, ut melius reddit *Danaus ipse* f. 1417. quam *Polanus & alij*. Revixit igitur & ex orco revocata est ista hæresis. Eat igitur *Massonius* & videat, quomodo *Danaum* citra piorum offensionem defendere velit, & serid cogitet, quod si Deus saltem verbotenus sit homo, verbotenus passus, annon & nos verbotenus saltem redemptissimi, ut benè contra *Nestorium* ex eodem conclusit fundamento *B. Cyrillus*.

IV. Ad tertium respondeo. i. supra esse demonstratum, *B. Lutheri* synecdochen cuius meminit saltem, *Synecdochica prædicatio.* quod antiquitus in usu fuerit, διὰ διὰ πᾶσων à *Zwingliana* abire. Nec est ut actum agamus. Consensum verò *Cacodoxum* quod attinet, is certè à crimine intentato haud vindicatur, dum *nudè verba recitantur*, dum *Marcus Beumlerus* producitur. Siquidem ut huic solidè *B. Heilbrun pag. 96.* *nerus in synopsi doct. Calv.* altera à p. 46. usque ad 49. respondet, demonstrando. 1. *Tossanum calumniatum esse.* 2. *Lutheri vaticinium in Calvinianis esse impletum*, adeoq; ex humano affectu nullatenus profectum. 3. *Beumlerum fallaciis meris ludere, & in Nestorij castris militare*, vide quæso locum productum: ita vel integra moles si



Massonij do-
lus.

pag. 95.

describeretur, excusatus ille Cacodoxus Consensus non foret. Sed notanda ejus singularis fallacia. Citata erat p. 18. O. *Consensus*. Massonius verba citata ne tangit quidem, sed vix octodecim aut viginti citat verba, quæ tamen hîc adeò, ut in controuersiam non veniant; ita certè ab Excellentissimo nostro Theologo Dn. D. Hoe citata haud fuerunt. Verba à Massonio producta hæc sunt: *Etsi Deus de homine verè & rectè dicatur & contrà, tamen Deus & homo non natura, sed persona concreta vocabula sunt.* De voce haud litigabimus: Certum est ex B. Cyrillo & Maxentio, vocabulum Dei, & hominis, notare personam, sed ita tamen, ut sit *concretum natura*. Unde si naturæ in persona & in concreto de se prædicantur, utiq; manet 1. *voci Dei*, quando dicimus, Deus est homo, ipsum Deum ἑνωτικῶν notari: secus enim naturarum de se mutua non est prædicatio; 2. *aut verè & propriè: aut tropicè* de se illa prædicantur; aut planè falsò. Ultimum impium. Medium & Unionem tropicam introducit, & prædicationem juxta primam verborum impositionem falsam; vide B. Hieron. *Tatianum* & alios supra. Primum igitur si obtinemus, cadet Achilles adversariorum, impossibile scil. esse, ut quod unius natura, id de altera dicatur propriè. Concesserunt vero nobis supra *Martinus, Crocius*, vocem Dei, hominis, esse *concretum natura*. & ipse Massonius p. 94. *humana omnia Deitati, sed in concreto, ob unionem personalem tribui*, alias enim nullum inter se & B. Lutherum consensum confingere habuisset, largitus est. Josias Simlerus in narrat. controuers. de una pers. & duab. nat. Christi f. 187. b. in phrasi hac, *Deus est passus: Dominus glorie crucifixus; Sermo vite palpatus est; filius hominis in terris regens est in calis &c.* agnoscit, no-
mina

mina hęc naturę in concreto accipi, & de altera natura dici, quod alterius proprium. Ergo hęc concreta naturę sunt, quod ut ex Maxentio, Vigilio & aliis constat: sic directè O. Consensui contradicit. Sed his non immorabimur. Ista enim verba à nobis haud citata fuere, sed sequentia. Vide quę de Concreto & Abstracto dedimus, ubi dolus adversariorum detectus est.

V. Sic scripsisse dicitur, B. Lutherus ab O. C. f. 18. *In ista predicatione, homo est Deus, non est necesse, ut humanitas evanescat, aut esse desinat: sicut Pontificij somniant de substantia panis: vel ut subjectum istius loquutionis de Deo, & non de Homine intelligatur. Manet enim humanitas Christi: & tamen Homo & Deus longè majori diversitate inter se distant, magisque repugnantia sunt, quàm panis & corpus Christi, Ignes & lignum, Bos & Asinus.* Respondet nunc Cacodoxus C. *An unquam pro vero Lutherani defendere audebunt, in hac loquutione, iste Homo est filius Dei, per subjectum, iste homo, non ipsummet filium Dei, sed assumpta humanitatis naturam intelligi, sicut hoc ista inconsideratè dicta Lutheri manifestè innuere videntur? An ignorant aliud esse in Christo hypostasin & personam, quę est & dicitur homo, & aliud naturam, quę est homo? At in superiore ista loquutione, per subjectum, Homo, non illud, quę Christus homo, sed quod in Christo homo est, h. e. persona & hypostasis intelligitur. Hac autem est ipse filius Dei, assumptam & subsistentem in se habens humanitatem, quę homo est. Cum itaq; hinc liqueat, propter ejusdem hypostasis in subjecto & predicato identitatem, Hominem*

B 3

Chri-

filius Dei assumptam nat. humanam habens, est Deus. Cur non & ita: Paulus est Christus, i. e. Christus Paulum eligens in apostolum eiq; gratiose unitus, est Christus.

Et hec B. Lutheri verba orthodoxa plane accusanda sunt criminis.

Hęc Verba citata sunt, quę tamen Massonius planè præterit.

Itane, qui ait, in subjecto, homo est Deus, non evanescere humanitatem, si manifestè innuere videtur, in subjecto non esse filium Dei? Homo est Deus, id est,

Homo est
Deus. Prædi-
catur hic filio
Dei de filio
Dei essentia-
liter. Ergo
erit homo es-
sentialiter.

Disparata de
se non prædi-
cantur.

Christum esse filium Dei, PRÆDICATIONE VERE IDENTICA, QUÆ VIDELICET IDEM DE SEIPSO, hoc est, FILIUS DEI DE SUA HYPOSTASI, ab altera & assumpta natura appellata, propriè & essentialiter prædicatur, nullo modo, tanquam orthodoxè dictum, admitti, multoq; minus defendi potest, quod Lutherus, contentionis fervore seductus, scribit, inter hominem & Deum longè majorem, in ratione subjecti & prædicati, diversitatem & repugnantiam esse quàm inter panem & corpus Christi, & inter Bovem & asinum. Ubi I. B. Lutheri scopum planè depravat: Loquitur ille de humana natura in se suaq; natura, nec non λόγῳ seu divina natura in se considerata. Ubi sanè, quum major sit inter Deum & hominem differentia, quàm inter bovem & asinum, panem & corpus (ista enim differentia infinitis parasangis hanc excedit) utiq; magis ista in se & absolute considerata, repugnantia sunt, quàm bos & asinus. Deinde eodem schemate hæretici, quò Calviniani eludunt proprietatem propositionum sacramentalium & ἀλλοίωσιν Zwinglianam propugnant, eludent & eludunt propositiones personales. Ita concludunt Calviniani: *Disparatum de disparato propriè non prædicatur.* Ita Gryneus, Alstedius, Scharpius, Chamier, Polanus & alii. Vide par. 1. p. 227. Ita hic O. C. qui inde concludit, quando dicitur, *homo Christus est Deus*, non respectu humanæ naturæ Christum sic appellari, sed potiùs filium Dei respectu deitatis, ut prædicatio fiat identica: secùs enim disparatum prædicari de disparato, quod absurdum existimat. Subsumit Photinianus: *In prædicatione Deus est homo: prædicatur disparatum de disparato. Ergo non propriè sed equivocè & figuratè de se prædicantur.* Minorem probabit. J. autoritate Bezae in Colloq.

Colloq. Mompelg. p. 366. Bilstenij in Log. l. 1. p. 140. En! &
 hi defendunt, quod B. Lutherus. Quī igitur B. Luther^o
 id exprobrandum, in aliis ferendum? 2. *definitione dispa-*
ratorum. Sic enim Phil. l. 4. log. *Disparata vocantur due*
species diverse, quæ etiamsi non habent contrariam in se
actionem, tamen in unam rem confundi non possunt. Subsu-
 mo nunc: *Homo & Deus sunt diverse planè species, & qui-*
dem tanto magis, quanto minus sub unum genus logicum
 (unde & terminus speciei hic ἐν πλάτει accipitur à no-
 bis) *ista vocari possunt, sub quo alias asinus & bos.* Ergò
 sunt disparata; hincq; concludet, non posse ista de se invi-
 cem prædicari, neq; ita personaliter uniri, planè ut Cal-
 viniani ex eodem argumentantur fundamento, & con-
 tra proprietatem literæ in verbis institutionis, & pro
 Zvingliana allæosi. 3. Ineptissimam phraseos, *homo est*
Deus, dat expositionem, id est, filius Dei assumtam habens
humanitatem, est Deus. (a) Hanc enim Nestorius concessit.
 (b) monstratur eadem, quid filius Dei sit essentialiter,
 non verò quid homo propter personalem Unionem, de
 qua tamen prior phrasis loquitur. Qualis Unio, talis &
 communicatio. Ista non est essentialis. Ergò nec hæc.
 Essentialiter igitur qui hanc exponit, illam tollit. (c) per
ειδίωσιν mutantur concreta naturarum, quod sine fucò
 haud fieri ipse Massonius concessit, ut sit, *homo est Deus,*
 id est, *Deus est Deus.* 3. Omnis resolutio dictorum scri-
 pturæ loquentium de communicatione, quæ dicta non
 ita exponuntur, ut præsupponant Unionem personalem,
 ea est falsa & fictitia. Adde hic *Gryneum l. 3. contro.*
Euchar, cap. 8. ubi itidem vocat identicam propositio-
 nem.

VI. Sed



Neustädien-
ses.

pag. 97.

Massonius
malè dispu-
tat.

Dn. D. Hoe
nihil respon-
detur.

pag. 97.

VI. Sed novum hic aucupium Massonii. Ait Nobilissimus noster Theologus Dn. D. Hoe p. 43. Triumphū die Neustäter haben in ihrer Admonit. p. 70. eine solche Regel: Wann das / so menschlich ist / von Gott gesaget werde / vnd hinwiederumb was Göttlich ist vom menschen Christo / so viel die Naturen belangent / so bestehe es nur in Worten / vnd sey eine wortliche rede. Da subsumir nun ein jeder: gebohrn werden in der Zeit / ist eine Menschliche eigenschafft: Derowegen / so wird sie nur mit Worten von den Sohn Gottes gesaget / daß er in der Zeit gebohren worden: In der That aber verhalte es sich nit also. Verba ista totidem literis habentur pag. cit. 70. edit. an. 1581. in 4. & hæc sunt: *Unde hoc manifestum fit, prædicationem humanorum de Deo & divinorum de homine, et si, quantum ad naturas, tantum est verbalis, tamen nequaquam esse falsam &c.* Verum Massonius hæc verba planè prætervectus, silentio ea damnavit, secus ac in reliquis solet, ubi Dn. D. Hoë verba prius citat & allegat, quàm respondeat. Præterea illis verbis, quæ ex Neostädiana admonitione laudat, diversis planè ab his, quæ nos citamus, numerum pagellarum haud præposuit, idque idè, ne lector diversitatem numeri videns, colligat, non ea esse citata verba, quæ allegavit Dn. D. Hoe, ut taceam, verba nudè allegare, non esse respondere. Patet igitur. (1) Quod pessima & cauteriata hinc egerit conscientia Massonius. Patet (2) invictum adhuc manere Dn. D. Hoe argumentum, cuius tantum est robur, ut ne tangere quidem ausus fuerit adversarius. Ea, quæ supra ex admonitione ista allegavit, non minus esse impia, demonstratum est. B. verò Lutherus in c. 14. Joh. tom. 7. nobis in nullo contrariatur. Damus & nos, *de Christo ita esse loquendum, prout utraq; requirit natura; nonnulla verba divinam, nonnulla*

vulla humanam indicare: esse attendendum, secundum quam naturam quidvis de Christo dicatur. Verum quid inde concludet apostata, aut quid nobis hic est contrarium? Neque nos dicimus, Deitatem esse nuper natam in tempore; sed, Deum esse natum vere & proprie juxta carnem, quod si & adversarius credit, gratulamur ei de veritate, & monemus, ut damnet Zvinglii ἀλλοίωσιν & synecdochen Calvinianam, quæ à Deo nativitatem remonet.

VII. Properamus ad portum. Ultimum est, *annon An homo Calviniani ideò etiam vocari Christum filium Dei, quod à Christus sit Spir. S. sit conceptus, contendant, & sic Mariam vere Θεοτόκον filius Dei ob negent? Zanchio nec non Sobnio id ascribitur. Masso-
niius de consequentia planè mutus est. Videt enim eam
satis esse firmam: Sic concludimus: Quisquis asserit
Mariam Christum genuisse, qui propter conceptionem miraculosam Deus sit, is vel hoc respectu saltem negat Mariam
verum Deum genuisse, adeoq; fore Θεοτόκον; & in castris Photinianorum militat. Sed Sohnius Zanchius & alii Calvin, asserunt Mariam &c. E. Consequentia Majoris firmissima. Si enim ob temporalem nativitatem est Dei filius, non erit æternus Deus. Si non æternus Deus, non est verus Deus. Audiemus Job. Maccov. in colleg. theolog. miscell. Quæstionum, Franckeræ ed. Anno 1631. disput. *Job. Maccov.*
4. ubi hanc tractat quæstionem: *Utrum Filius Dei genitus sit ex substantia Patris ab æterno, quod asserit, sibi que th. 38. objicit Photinianos. Sic ait: Sed adversarii nobis hic varia objiciunt, & 1. hoc quod Christus vocatur filius Dei, quia conceptus sit ex Spiritu S. ut docetur Luc. 1. 35. En Photinianorum, ait, esse hanc objectionem, & sic vel hac**

C

ratione

ratione Photinianis pollicem premere Calvinianos li-
 quet. Respondet v. th. 39. Respondemus verbis D. Pesca-
 toris, sic autem ille primo opusculo contra Vorst. pag. 180. in
 his verbis. loquitur autem de verbis Gabrielis Archangeli,
 que extant v. 35. conjunctio *et* adjuncta adverbio *diu*, est
 nota paris *et* notat parem veritatem consequentis cum an-
 tecedente Enthyematis, quasi dicat angelus: Quam ve-
 rum est hoc, concepturam *et* singulari operatione Spiritus
 Sancti, ac proinde virginem: tam etiam verum est filium
 illum, quem sic conceptura *et* paritura es, fore filium Dei:
 si queras, que sit ratio Consequentia, Dico, illam esse prophe-
 tiam, que extat Esa. 7, 17. Ecce virgo concipiet *et* pariet fi-
 lium, *et* vocabit nomen ejus Immanuel, hoc est, nobiscum
 Deus, quibus utrumq; predicatur scil. Christum *et* fore fi-
 lium Virginis *et* Deum, nempe filium Dei, ac proinde addit,
 non recte exponi hunc locum ab iis, qui conjunctionem etiam
 referunt ad naturam humanam à filio Dei personaliter as-
 sumptam, quasi Angelus innuere voluerit, filium Mariae
 vocatum iri filium altissimi non solum propterea, quod e sub-
 stantia altissimi, hoc est, Dei Patris ab aeterno genitus, sed
 etiam propterea, quod ejus corpus e substantia Mariae per
 singularem operationem Spiritus S. sit creandum. At An-
 gelus talem antithesin aut collationem hic instituit nullam,
 sed ad Prophetiam Esaie respicit, atq; inde argumentum de
 nomine atq; Persona filij nascituri deducit, apparet id ex col-
 latione etiam eorum, que narrat Mattheus cap. 1, 20. 21. 22.
 23. cum enim recitasset verba Angeli ad Josephum jicentis,
 id quod ex Maria genitum sit, ex Spiritu S. esse, *et* ipsam pa-
 rituram filium, cujus nomen vocare debeat Jesum, subjun-
 git Evangelista, totum hoc esse factum, ut impleretur pro-
 pheta.

phetia illa Esaia cap. 7. En! par adversariorum inter suos
 haud ignobile, qui rotundè, & expressè rejiciunt, quod
 Massonius defendit. Minor verò Nostri syllogismi ab
 Excellentissimo nostro Theologo Dn. D. Hœc ex Zanchio
 & Sohnio, quibus adde. *Sibr. Lubb. contra 99. errores Vor-*
stii probata est. Manet ergo conclusio, ex qua sequetur,
 quod si Christus propter conceptionem ex Spiritu S. est & di-
 citur filius Dei, quod si & filius Spiritus Sancti: sicut pro-
 pter generationem ex Patre est & dicitur filius sui Patris.
 Atque nemo orthodoxorum Christum dixit filium Spiritus
 Sancti: Sequitur 2. plenus Nestorianismus. Sic enim
 apud Maxent. dial. 1. fol. 57. b. Nestorius. *Æqualem neq.*
Prophetis, neq. Jacob, aut Jos. pb credimus omnium Salva-
torem; sed incomparabiliter excellentiorem. Quia quam-
vis fuerit Deus cum illis, non tamen sine viri semine, sed nati
sunt lege natura; Christus autem Dominus novo nativitatis
modo ex Spiritu S. & Maria Virgine natus est, atq. in ipsa
prorsus formatione Christus est factus. Hæc ille, quæ
 cum Calvinianis optimè conveniunt.

VIII. Sed quid ad hæc Massonius? Ait 1. *iniquam istam*
esse accusationem. 2. Verba Zanchii nonnulla & 3. Sohni pag. 97.
producit, 4. ait hier saget Sohnius zwei Ursachen/ warumd pag. 98.
Christus Gottes Sohn genennet werde. 1. Weil Christus
wunderbarlicher weise vom Heiligen Geist empfangen ist.
2. Weil er vom Vater in ewigkeit gezeitet ist. Resp. 1. Ver-
bis Maxentii dial. 1. fol. 56. Nemo sibi infervi calumniam
(injuriam) queratur, quem non aliena, sed sua potius dicta
redarguunt. Sed, vel teste Massonio, vera nostra est accu-
latio, quod Christum filium Dei dicant, & propter conceptio-
nem ex Spiritu S. Idem confessus est Maccovius de Cal-
 C 2
 vinia-

vinianis quibusdam, quos unà refutavit. E. injuriam fieri Calvinianis immerito conqueritur adversarius. 2. ἀνεργολογίας in hoc agnoscit Lud. Crocius in apologet. p. 289. qui concedit cum Pierio, eandem sententiam suam faciente, Zanch. causam filiationis & conceptionem ex Spir. S. fecisse. 3. nullatenus à crimine intentato excusantur advers. dum verba recitantur nude. Demonstrandum erat vel Zanch. & Sohnium ea haud scripsisse, vel non malè, sed orthodoxè scripsisse, ubi magis mutus, quàm piscis est Masson. 4. Memini quidè Zanch. asserere. Christum quàm hominem dici filiū Dei naturā, quod conceptus sit à Spir. S. At (a) illud ipsum Maccovius, Piscatorreprehendunt, ne quærat Massonius: So sage nun ein jeder Christen mensch: ob dise wort Zanchij etwas sträffliches in sich haben p. 98. nisi forte Christianorū numero suos exemerit. (β) Christus quàm homo, non est filius Dei propter conceptionem ex Spir. S. siquidem Christus ideo & ex ea causā, quod secundū Deitatem natus est ex Deo, Deus est. Omnis verus & naturalis propriè & exquisitè dictus filius, est & vocatur filius per & propter nativitatē, in qua essentia parentis communicatur filio. Interim filius Dei est filius hominis per & propter Unionem personalem, quia ὁ λόγος, qui per æternam nativitatē est filius Dei, idem ipse per Unionem personalem factus est homo. Unio causa est non naturarum, sed est copula, vinculum earundem, ut Christus sit unus Deus & homo in personæ unitate. (γ) Negant Martinius & Crocius Christum secundum humanam naturam dicendum esse filium Dei. Sic concludunt: *Humana natura nullo modo est filius, quia nullo modo persona est.* Martinius in Menz. antinucher. pag. 384. & p. 381. *Christum secundum humanitatem, seu quatenus homo est, hoc est humanam naturam*

Crocus l. d.

Vide Maccovium, qui id ipsam urget.


Christus quàm homo seu secundum humanam naturam an sit Dei filius?

suram Christi dixi nec naturam nec gratiam filium esse: quia
 neq; per naturam neq; per gratiam est persona, p. 387. Humana
 natura nullo modo est Deus, nullo modo divina natura, nul-
 lo modo divina persona, sed ei adunata. Subsumit. Chri-
 stus secundum humanam naturam est idem ac humana na-
 tura. pag. 81. At Christus secundum humanam naturam est
 idem, atq; Humana Christi natura, puta in Unione. pag. 84.
 Igitur patet, quid sit dicere Christum secundum humanita-
 tem, nempe, humanitatem ipsam verbo unitam. p. 131. Nam
 Christus secundum humanam naturam est humana natura
 Christi idem sunt. At humana natura Christi non est Deus:
 nempe differunt illa duo ut natura est persona, quae differen-
 tia est quasi partis est totius. Jam quae ab aliquo tertio dif-
 ferunt, inter se differunt. Concludo nunc: Ergo Chri-
 stus secundum humanam naturam nullo modo est filius.
 Si nullo modo (quod tamen falsum esse, alibi docetur)
 utiq; nec per conceptionem ex Spiritu Sancto. En expressè
 Zanchio contradicit. Et p. 384. expressè ait, filiationis ra-
 tionem totam, non aliunde esse quam ab aeterna generatione
 Quod itidem Zanch. contra est. Imo ex hujus sententia
 humana natura fit persona, si dicatur, Christo quàm homo, sive
 quod perinde est, secundum hum. naturam filius. Et videas
 quæso ipsum Zanchium, qui & sui oblitus est, & egregiè
 Martinio in his contradicit lib. 2. de Incarn. col. 164. 165.
 tom. 8. Sic ait: Unio hypostatica efficit, ut Christus etiam, quàm
 homo est, dici nullo modo possit filius esse Dei adoptione, sed
 tantum natura. Et statim: Tota haec persona, i. e. Christus etiã
 secundum hanc partem (i. e. hum. nat.) filius Dei naturalis vo-
 catur. Iterum: Nullo modo potest dici etiam quàm homo est, fi-
 lius esse adoptionis, sed tantum naturalis. Iterum: Igitur
 angelus ad Mariam de Christo etiam quàm homo futurus erat,

verba faciens, dixit, eum vocatum iri, nempe verè, eoque futurum filium altissimi, naturalem nimirum, quatenus natus est ex Patre primum, deinde ex matre. Hæc ille. En contradictiones! Christus secundum humanam naturam nullo modo est filius, nedum naturalis. Martinius. Christus secundum humanam naturam est filius naturalis, Zanch. Idem: Christus quâ homo nullo modo est filius per adoptionem E. nec per conceptionem ex Spiritu S. At alibi cum Massonio: Christus, quâ homo, est filius Dei naturalis per conceptionem in tempore à Spiritu S. Videat igitur Massonius, suos quomodo sit conciliaturus, & addat Daniele Bernh. Eilsheim in Ostfriesl. Kleinodt p. 419. ubi ait: Es seye Christus aus gnaden ein Sohn Gottes / wegen der Gnaden der Empfängnisse seiner menschliche Natur vom H. Geiste / vnd ihrer persönlichen vereinigung mit dem einigen Wort / &c. noteturq; 4. hanc ipsam sententiam jam olim damnatam in Theodoro Mopsvesteno in Concil. 5. Constantinopolitano circa annum Christi 551. ut fusè B. Menzerus in der Prob der Ostfriesl. Kleinodes p. 123. docet. Ac quamvis denuo introducta fuerit à Theodisco in Hispania circa a. 636. (vide Baronium in Annalibus ad annum 794.) quem excepit Elipandus Episcopus Toletanus & Felix Urgelitanus, circa annum 783. attamen in synodo Ratisbonensi a. 792. & tandem Synodo Francofurtensi cui, ut testatur Baronius, 300. interfuerunt Episcopi an. 794. planè damnata est. Adoptioni nullus locus est; ait Martinius, ubi quis naturâ est filius. Eat nunc Massonius & dispiciat ad hæc, quid respondere velit, & annon verè à Nobilissimo nostro Theologo evictum sit, Calvinianos Mariam Jeroſolias privilegio spoliare. Concludo: Quicumq;
negat

negat Christum secundum humanam naturam esse filium
 Dei naturalem seu Deum: is negat Mariam esse Θεοτόκον. At
 Calviniani negant Christum secundum humanam naturam esse
 Θεοτόκον. Major est Zanchij l. d. col. 164.
 & probatur invictè ita. Christus secundum humanam na-
 turam est natus ex Maria Virgine. Christus secundum hu-
 manam naturam non est filius Dei naturalis. Ergò filius Dei
 naturalis, sive quod perinde est, Deus non est natus ex Ma-
 ria Virgine. Et per Conseq. à definitione ad definitum:
 Maria non est Θεοτόκος. Minor Syllogismi est Marti-
 nij, Wendelini p. 251. Christ. Theol. & alio-
 rum. Manet ergo Conclusio.

FINIS.





unge durch
ten. Nost
pplicare
lico; C




eganz

ALVENSLEBEN

T

163





4n

Cum CHRISTO!

Decima Quarta

In secundam Anatomiaë Mas-
sonij partem.

DISPUTATIO,

An Maria sit ΘΕΟΤΟΚΟΣ,

Quam

P R A E S I D E

JACOBO WELLERO

SS. Theol. Doct. ejusdemq; Prof. Extraord.
& Ebr. Linguae Ord.

defendet

M. JOHANNES SCHINDLERUS

Chemnicensis, Sereniss. Elect. Saxon. Alumnus

In Auditorio Collegij Veteris

ad diem 7. Augusti

T 163

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI, ACAD. TYPOGR.

ANNO M. DC. XXXIX.

